

tamen ore, ac lingua beatorum efficiendum a contrario fundamento deducitur, quia in ore, et faucibus aerem deferent, nec enim in iis naturalibus instrumentis vacuum dabitur, ex repercussione autem aeris motu linguæ effecto vox formari poterit, eaque suavissima. Hoc autem fundamento in cœlestium corporum motu denegato, ruunt omnium rationum pondera, quibus philosophi illi cœlestem sonum, et musicam adstruere conati sunt. Unde Ambrosius citato loco: « Introdixerunt, inquit, philosophi impulsu, et motu ipsorum orbium dulcem quemdam, et plenum suavitatis, atque artis et gratissimi modulaminis sonum reddi. Hujus rei fidem, si requiras, atque expetas, sensu nobis, et auditu probari hæsitant, nam si vera forent quomodo tanto motu orbium concrepante, cum ille cœlestis orbis, cui affixos ferunt stellarum cursus, qui sine intermissione volvuntur concitatioem habeat conversionem, atque acutum sonum excitet, hic autem lunaris gravissimum, non audiretur a nobis cum leviora audire soleamus? Fidem ergo ejus disputationis si testimonio nostro, et auditus munere exigamus probari, referunt absurdisse aures nostras, et hebetiorem nobis sensum audiendi factum propter illam a principio nostræ generationis concepti sonitus consuetudinem. Et exemplum afferunt ex eo quod Nilus fluviorum maximus, eo videlicet loco ubi se ex altissimis montibus præcipitat, magnitudine fragoris sui aures accolarum obstruat, ut audiendi munere carere dicantur. Sed facile his ipsa respondet veritas. Nam qui tonitrua audimus nubium collisione generata, tantorum orbium concussiones, qui majori utique sicut motu ferri astimantur, ita vehementiores sonitus excitarent, non audiremus? » Hucusque Ambrosius.

X. Cujus etiam rationem prosequitur late D. Thomas supra libro II de cœlo, lect. XIV, additque solutionem dicentium non absurdisse ad percipiendum illum sonum, propter fragoris ejus vehementiam, nullo modo posse subsistere, quia consuetudo audiendi magnos sonos, non solum aufert distinctionem illorum sonorum, sed etiam aliorum, sicut malleatores æris, non possunt percipere alios sonos minimos; unde si propter consuetudinem non possunt audire sonos cœlestium corporum, pari ratione nec alios sonos audire possumus.

XI. Sed relinquamus si placet, sonum cœlestium motuum, quem nullus unquam audivit, et vix nisi in somno Scipionis quasi somniam musicam Cicero perceptum fuisse finxit. Accedamus ad altiora, quæ magis interiorem excitant auditum, et ad cœlestes sonos, qui vere futuri sunt in cœlo, animum disputationemque adjiciamus. Et ut omittamus spiritualem Angelorum harmoniam, quæ solum metaphoricè musica, aut concinnatus sonus appellari potest, sicut spiritualis, et intellectualis splendor, metaphoricè appellatur lux; de illo vero sono, ac reali disseramus, quem in corporibus gloriosis, etiam inter ipsos cœlorum orbis, dum sublimia illa cœlorum spatia, et splendentia lumina victrix pede, et triumphali pompa pensaverint, futurum esse non ambigimus. Quis enim aut motos post reassumpta, et glorificata corpora beatos omnes futuros dicere audebit, cum hoc ipsum magnæ infelicitatis esset dispendium, loqui in perpetuum non posse, aut si loquendi usum amissuri non sunt, quid suavitas illa vocis, et jucunditas summa, nisi Dei laudes, et cantica in illa lætissima festivitate depromet? Et sicut in infernorum pœnis, et totius infelicitatis miseria,

erit stridor dentium, et horribilis gementium clamor, et confusio ululantium reorum, præ angustia, et magnitudine tormentorum: sic in totius jucunditatis felicitate, et cumulo canoro suavitatis jubulum, et melodicam musicæ voluptatem, civitatem illam Dei lætificaturam nullatenus ambigi, dubitarive potest.

XII. Nec assentiri debemus quibusdam hæreticorum somniis, aut deliriis, qui canticorum compositionem et musicum scribendi genus, musicæ deserviens molle, aut profanum esse putant, et ad fabulas dumtaxat componendas aptum, aut ad vanos, et impuros affectus iræ, vel amoris delineandos adinventum; unde nec possunt sibi persuadere sacros aliquos libros poetice scriptos, et ad cantilenas efformatos. Cæterum inter tales homines plane squalidos, ac luctuosos, et omni fletu dignos, illud mihi sapientis usurpo dictum: Musica in luctu importuna narratio. Quid enim eorum parens diabolus æterno luctu damnatus cum cœlesti musica, et sacris canticis nisi perpetuum evomat odium, et bellum? Ululatum ipsius, et clamorem, et stridentia furiis ora, et perturbationem, et confusionem, et horrorem scimus; sic et ejus satellites, ac ministri diabolici spiritus vertigine rotati omnem ordinem, concentum, musicam suavitatem, Dei cantica exterminant, contendunt, et juxta prophetiam Isaïæ vocem occurrunt dæmonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum, ibi cubalamia, et invenit sibi requiem, illuc congregavit sunt milvi alter ad alterum. Tales sunt hæreticorum voces, stridulæ, confusæ, inordinatæ, musicam, et cantum omnem a piis auribus expungentes.

XIII. Certe gratissima Dei auribus cœlestia esse cantica, diabolo odio-

sissima, et sacræ, et profanæ historię nos edocent, nam si viros illos sublimes, et gloriosos, atque a Deo afflatos in veteri testamento consideremus, nonne carminibus, citharis, et canticis ad ipsum prophetiæ spiritum impellebantur, et quasi illum ad se invitabant, et trahebant? De filiis Asaph, Heman, et Idithum legimus in libro primo Paralipomenon, cap. XXV, quod prophetabant in citharis, et psalteriis. Eliseus IV Reg. III ut vaticinari posset, et ad supernum, ac cœleste prophetiæ lumen supra se rapi, jussit adduci sibi psalterem: *Cumque caneret psalteres*, inquit sacer textus, *facta est super eum manus Domini*, seu ut Chaldaicus explicat, *requievit super eum prophetia*, et ait: *Hæc dicit Dominus, facile alveum torrentis hujus fossas, et fossas, etc.* Et grex prophetarum I Reg. I descendebat de excelso, ante eos psalterium, et tympanum, et tibia, et cithara, ipsique prophetantes, videtur enim divinus ille Spiritus ad suavitatem carminum, et interioris animæ melodiæ ex ista sensibili musicorum instrumentorum arte in semetipsam recollectæ trahi, et quasi invitatus, et allectus jucunditate animæ vocis ad sponsam suam verba illa geminare, Cantic. II: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Pudet dicere quod et falsi dii (dæmones scilicet) ut in hoc aliquam veri Dei quasi larvam, et similitudinem assumerent, etiam carmine demulceri, et placari canticis hominibus persuadebant, ut est illud quod Flaccus ad Augustum libro II, epistola prima dixit: « carmine dii superi placantur, carmine manes: » et Ovidius primo tristium:

« Exorant magnos carmine sæpe deos. »

XIV. Quod de illo celebratissimo olim Orpheo dicam? Cujus tantam

in vi musicæ efficaciam finxit anti-
 quitas, ut etiam feras, et saxa, ac
 rupes ipsas, id est, saxeos, ac ferinos
 hominum animos cicurasse, ac de-
 linisse referatur? Et Horatius inquit,
 sylvestres homines sacer, interpres-
 que deorum, cædibus, et victu fædo,
 deterruit Orpheus, dictus ob hoc le-
 nire tigres, rapidosque leones. Sic
 honor et nomen divinis vatibus at-
 que carminibus venit. Quinimo
 neque preces olim ad divos funde-
 bantur soluta oratione, sed metrica,
 ut ex hymnis Pindari ad hoc effor-
 matis constat. Et Macrobius lib. II
 in somnum Scipionis, capite III in
 sacrificiis, et deorum laudibus car-
 mina olim adhiberi solita scripsit.
 Denique præclarissimum hujusce
 rei argumentum est, quod diabolus
 vehementissimo odio musicam pro-
 sequitur, cum enim, ut dicitur I
 Reg. XVI spiritus nequam irrueret
 in Saul, ipsumque non solum ag-
 gravaret tristitia, nimiaque cordis
 angustia, sed etiam quasi quibus-
 dam furiis exagitaret, David car-
 mine, et citharæ suavitate dæmo-
 nem effugabat, et Saulis animum
 exhilarabat. Quod non solius divinæ
 modulationis, et verbi Dei virtute in
 illis carminibus, aut psalmis im-
 pressa, sed virtute etiam musicæ
 factum dicit Josephus sexto libro
 antiquitatum, cap. IX. Et Burgen-
 sis in additionibus super citatum lo-
 cum Regum inquit, quod: « Dice-
 re, quod fieret ex merito David, seu
 per orationes ejus, alienum est a
 littera, quæ solum facit mentionem
 de actu psallendi. Atque ita diabo-
 lus, qui ut dicitur Job XLI: *Reputat
 quasi paleas ferrum, et quasi lignum
 putridum æs, qui, quasi stipulam
 æstimat malleum, et deridet vibra-
 tem hastam*, ad sonitum citharæ, et
 ad suavitatem divinæ modulationis
 tremefactus recedit, et quem nulla
 potestas, aut vis terrena coerces,
 superat harmonia. Hinc militans

Ecclesia quasi gratisissimum, et
 gravissimum Deo munus offert Can-
 ticorum hymnos, psalmorum car-
 mina, et vocum laudis, Psalm.
 CXLVI: *Laudate Dominum*, inquit
 propheta, *quoniam bonus est psalmus,
 Deo nostro sit jucunda, decoraque
 laudatio*: et Apostolus ad Ephesios V:
Implemini, inquit, *Spiritu sancto, lo-
 quentes vobismetipsis in psalmis, et
 hymnis, et canticis spiritualibus
 cantantes, et psallentes in cordibus
 vestris Domino*. Si ergo ex modula-
 tione psalmorum, et spiritualium
 canticorum harmonia, ipso Spiritu
 sancto se infundente, corda replen-
 tur canentium, quid mirum tali
 cantu effugari, longèque arceri om-
 ne immundorum spirituum genus,
 nec tolerare posse ordinem melo-
 diamque sanctam, illum qui in per-
 petuo horrore, atque confusione, et
 gemitu inhabitat?

XV. Quibus fundamentis præsup-
 positis, ascendamus jam ex tristitia
 vallis nostræ, et gementium inco-
 larum ejus, ad illam triumphantis
 Jerusalem cœlestem gloriam, ac
 lætitiā, in qua plane sicut lætan-
 tium omnium habitatio non segura
 tantum est, et certa, sed felicissima,
 sed lætissima, sed suavissima, ubi
 solum cantica, et gratiarum actio,
 et vox laudis per illos æternitatis
 montes resonat, et auditur, et per
 vicos ejus jucundum semper alle-
 luia cantabitur. Quas voces, et can-
 ticorum melodias inter ipsos cœlo-
 rum sinus, et stellatos illos, ac lu-
 centes orbes etiam corporaliter ef-
 formandos concors Scholasticorum
 doctorum admittit consensus. Sed
 qua ratione extra omnem aerem, et
 elementalia corpora in ipsis cœlis,
 qui ut dicitur Job XXXVII: *Quasi ex
 ære solidissimi fusi sunt*, et incor-
 ruptibilitatis suæ privilegio, nec
 scindi possunt, nec dividi, corpo-
 ralis vox a beatorum corporum lin-
 gua, et dentibus efformanda sit,

neque ingenium humanum capit,
 nec terrena mens, aut sensus potest
 attingere. Nec enim negari potest
 ibi sensum auditum operaturum in
 beatis, nec omnino otiosum futu-
 rum, cum alii omnes sensus im-
 mensa quadam delectatione, et frui-
 tione replendi sint. Porro sensus
 ipse non phantastice, aut illusorie
 sonos percipiet, quasi efformante
 Deo species intentionales in auditu,
 sensus ipse operationes suas possit
 exercere. Nec enim magis intelli-
 gibile est posse auditum speciebus
 in eo existentibus, sonos non exis-
 tentes percipere, quam sensum vi-
 sus non existentia videre speciebus
 visibilibus in eo positis, et dato
 quod hoc non sit impossibile, certe
 tantæ illius gloriæ veritati, et certi-
 tudini omnino indecens, et indecor-
 rum est sensus illusorie moveri, et
 de sonis, aut musicis judicare,
 eisque deliniri, quæ omnino non
 sunt. Quare si beatorum corporum
 auditus non otiosus, nec dormiens
 in cœlo futurus est, sed operationes
 audiendi formaturus, utique et sonos
 vere, et non apparenter, ac deluso-
 rie auditurus est. Formabuntur ergo
 in cœlo tales voces, aut sonitus.

XVI. Quibus omnino suffragatur
 Scriptura, voces istas, ac sonos in
 cœlo factos contestans. Quod in sen-
 su litterali, ac proprio intelligi de-
 bere ambigendum non est, nec in
 contrarium aliquid obsistit. Sic
 Apocalypsis XIV legimus: *Et audivi
 vocem de cœlo tamquam vocem aqua-
 rum multarum, et tamquam vocem
 tonitruui magni, et vocem quam audi-
 vi sicut citharædorum citharizantium
 in citharis. Cœli sonitus, hæ voces
 cœlorum sunt*. Quod iterum confir-
 mans cap. XIX: *Audivi*, inquit, *tam-
 quam vocem turbæ magnæ, et sicut
 vocem aquarum multarum, et sicut
 vocem tonitruorum magnorum dicen-*

*tium alleluia, quoniam regnavit Do-
 minus Deus noster omnipotens*. Sic
 in cœlo resonatur, sic auditur, non
 fragor sine voce, non vox sine fre-
 mitu, non sine musica sonus, et
 tonitruum resonat, et auditur melo-
 dia, aquarum fragor ingens in ci-
 tharæ dulcedinem, et harmonici
 cantus suavitatem temperatur, ut
 sciamus nihil de acuto, nihil de
 gravi, nihil de placido, ac tenui in
 sonoris cœlorum oncentibus deesse.
 Omnes sonorum species ibi sunt,
 et aquarum multarum fremitus, et
 fragor, beatusque intonantis toni-
 trui, et modulata citharædorum
 suavitas, et canentium jucunditas.
 Denique sicut lætantium omnium,
 sic erit quidquid illud erit, quod in-
 ter cœlestes illos vertices, et spatia
 ampla sonabit.

XVII. Sed quis idoneus ad expri-
 mendas illas tantæ jucunditatis vo-
 ces? Quis ascendet in cœlum, et de-
 ducet eas ad nos? Quæ auris nisi
 beatitudinis gloria erecta susurra
 illa venarum cœlestium percipiet?
 Aut quis æstimare poterit quomodo
 tot sonitus sine corporum discissio-
 ne, sine divisione aliqua, quæ uti-
 que corruptio, aliqua est, efforma-
 buntur? Non decet autem æterna
 illa corpora dissecatio, neque incor-
 ruptionem corruptela. Scio non de-
 esse qui putent cœlum empyreum
 non difficile ad dividendum ad mo-
 dum mollis hujus aeris, et cedere, et
 scindi, atque adeo in sonitus con-
 verberari posse. Sed quomodo cum
 hoc incorruptibilitas ejus compona-
 tur, quæ divisione dissolvi in partes,
 quod integrum erat necesse est, vix
 fingi, nedum credi potest. Et cum
 in modum æris cœli illi solidissimi
 fusi sint, quomodo ad mollitudinem
 aeris tanta soliditas sine magna al-
 teratione, aut corruptione poterit
 reduci?